



**ELTE BTK**  
**ÓKORTUDOMÁNYI INTÉZET LATIN**  
**TANSZÉK ARPINÓI NEMZETKÖZI**  
**CICERO-VERSENY HAZAI**  
**VÁLOGATÓJA**



<http://abeljeno.elte.hu/arpino/>

## **Az ifjú Cicero Sulla kegyencének vérlázító életviteléről**

Descendit de Palatio et aedibus suis; habet animi causa rus amoenum et suburbanum, plura praeterea praedia neque tamen ullum nisi praeclarum et propinquum. Domus referta vasis Corinthiis et Deliacis, in quibus est authepsa illa quam tanto pretio nuper mercatus est ut qui praetereuntes quid praeco enumeraret audiebant, fundum vendi arbitrarentur. Quid praeterea caelati argenti, quid pictarum tabularum, quid marmoris apud illum putatis esse? Tantum scilicet quantum e multis splendidisque familiis in turba et rapinis coacervari una in domo potuit. Familiam vero quantam et quam variis cum artificiis habeat quid ego dicam? Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistoros, lecticarios; animi et aurium causa tot homines habet ut quotidiano cantu vocum et nervorum et tiliarum nocturnisque conviviis tota vicinitas personet. In hac vita, iudices, quas effusiones fieri putatis, quae vero convivia? Ipse vero quemadmodum composito et delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterva togatorum videtis, iudices; videtis ut omnes despiciat, ut hominem prae se neminem putet, ut se solum beatum, solum potentem putet.

**Eredmények 2023. január 31-től a <http://abeljeno.elte.hu/arpino/> honlapon!**